Quodlibetariis excutienda disputationibus in Scholis Medicorum die Jovis 12 Decemb.

Clariss. viro D. Claudio Bazin Moderatore Prudentissimo.

Estne vis Conformatrix Insita Semini?

Unicum est, sed summae divinum sempiternitatis principium ταυτότης, quam ut superiora, sic infima sortita sunt naturae dispari tamen modo. Illa enim semper aeterna unum eundemque numero atque individuum servant tenorem, haec vero corruptorum singulorum continua successione perpetuam speciem, cuius propagandae gratia mas in alio, et faemina in se generant distinguuntur, ut ille velut efficientis, haec passivum generationis esse principium, sine quorum congressu nulla perfecti animalis existere procreatio. Huius immortalitatis animantium princeps homo, a qua prae caeteris cupiditate deflagrant ~~[illegible]~~ γεννητικὴν δύναμιν in utroque simul cum caeteris facultatibus naturalibus (quae tempore antecedit) collocatam, et a virtute σπερματοποιητικῇ ~~cupiditate deflagrans~~ distinctam, una vero cum naturali spiritu in testes, sicut et in omnes partes demissam et partibus corporis primum consequitur qua, expressa sui procreat et efformat imaginem.

Unde naturae aliarum praestantissimae huic facultati deferendae dicatae partes, in mare et faemina numero fere aequales, situ vero et magnitudine aliquantum dissimiles accepit, vasa seminis materiam cum facultatibus deferentia, et praeparantia quatuor in viris et mulieribus, et usu et ortu similia, sic longitudine paria, quanquam in his pluribus gyris, et anfractibus flexuosa, in illis recta, binos etiam παραστάτας κιρσοειδεῖς ex vena et arteria simul contortis constitutos, binos ad eiusdem seminis praeparationem, insuper testiculos qui quidem inter principes partes recensentur, ut ad perfectorum animalium generationem absolute necessarii, atque insiti caloris, omnisque virilis roboris uberrimi fontes, in eo cordi praestantiores quod hoc tantum τοῦ ζῆν, illi τοῦ καλῶς ζῆν ἀρχαὶ ex quibus semen perfecte elaboratum in prostatas glandulosas, quorum vicem in mulieribus utrique cornua subeunt (ut ibi asseruntur) ad cervicis vesicae fines sitos, deferentia vasa deponunt: unde et in penem (cui in mulieribus respondet κλειτορίς) et huius meatu urinae communi, in uterum ipsius scroto non multum dissimilem transmittitur.

Procreatrix facultas eo delata cum non solum γονὴν tamen halituosasque sanguinis et in omnes suae partes, quo celerius assimilari queat vario modo attractum nutrimentum, nutritamque augere debeat, sed proprio peculiarique munere eiusdem uniformem quidem, partibus tamen aliis tenuioribus, aliis densioribus, aliis viscidioribus conflatam naturam partium σπερματικῶν substantiam sit mutatura, praeterea congruentem figuram, positum, cavitatem, asperitatem, levitatem sit efformatura, praeter nutricem, auctricem, et earum quatuor ministras facultates, quae suo imperio dum foetus utero similibus coercetur, mancipatas tenet, duabus aliis magis sibi propriis instruitur ἀλλοιωτικῇ καὶ διαπλαστικῇ, quae tamen specie distinctae δυνάμεις quae partes diversae sint, ἀλλοιωτικὴ quidem partium substantiam qualis est efficit, a seminis materia ortum ducens, per diversa omnino a qualitatibus primis, ex quarum etiam creari fiunt ὀστοποιητικὴ, νευροποιητικὴ et caeterae huic immutatrici subiectae partes, quae quidem in omni animalis genere tot numerabiles sunt quot habet in se dissimilares particulas.

Conformatrix vero non ab anima mundi, aut astris fictitiisque astrologorum imaginibus non etiam a seminis temperamento vel foetus corde promanat: sed a particulari et specifica vegetantis animae natura deprompta, velut ars optima et summa, singularum partium compagem format, ita effingit, ut nihil superfluum, nihil otiosum, nihil inutile fieri possit. Ipsique ἔμβρυον materia speciem ex materiae copia (quae in semine et sanguine materno multa est) imprimit. Effigiem ex semine quod praevalet, sive masculum illud sit sive faemininum impertit: unde fit ut quibusdam partibus patri, quibusdam matri nati sint semper similes, nisi forma gravidarum cogitatio, et hausta sub ipso conceptu imaginatio impediant. Sexum denique ex principiorum qualitatum temperatura, et copia genitoris spiritus tribuit. Hinc si calidior et siccior genitura fuerit mas, si frigidior et humidior faemina quae πεπηρωμένον ἄρρεν nuncupatur, nascitur.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Cum enim ex duobus communissimis rerum naturalium principiis materia scilicet et forma constitutum, materiam quidem habet a reliquiis alimenti utilis quod solidis partibus appositum est, unde qualis unaquaeque pars est et ipsa, tale et semen quod ab illis decidit evadere potest. Formam vero, quae anima est, a generantis testis enim tum spiritum a tribus principibus partibus in se illabentium virtutis, et substantiae probe contemperanti simul etiam quicquid spiritus et facultatis a reliquis partibus valida corporis perturbatione (unde vehemens titillatio et vivida frequenti concubitu languor) excernitur, materiae diligenter commisceo ut ex perfecta omnium temperatione prodeat et educatur, suis facultatibus donata vegetans anima, et spiritus ille genitor, cuius beneficio vis formatrix in eo latens, et ad opus suum utique peculiari virtute exsuscitata universam hominis fabricam et singulas eius partes ita exornat et effingit, ut nihil aut ornari, aut effingi possit perfectius &c.

Est ergo vis Conformatrix Insita Semini.

Ponebat Simon Bazin Parisinus. 1596.

Domini Doctores Disputaturi

m. Petrus Paulmier. M. Ludovicus Dreux. m. Joannes Beauchesne.
m. Petrus Ponson. m. Julianus Bere. m. Joannes Riolan.
m. Claudius Lauuelet. M. Nicolaus marchant. m. Joannes Hautin.